



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXXVIII. Gerardvs II. Elector XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rium IV. Pontificem Imperator Rudolphus. Committitur Henrico legationis munus & gravissimarum juxta tractandarum cum Pontifice rerum. Hujus porro legationis optatissimus Pontifici fuit successus, quando Rudolphus sacrae Sedi confirmavit Bononiam, Romaniolam, & simul Exarchatu Ravennate cessit. Officio legati praeclare functus Henricus, Pontificis summam erga se gratiam ita promeritus est, ut pinguem bene navatae operae remunerationem exspectare posset; & bene expectasse eventus probavit: creatus enim ob id maxime Elector Moguntinus, tribus annis placuit multis, & multis displicuit; hos inter Canonici ægro animo sustinuerunt Electorem & Archipræsulem obscuro loco natum, & invitis obtrusum. Annus vitae ultimus erat Henrico 1288. Ferè cum Honorio IV. in Sedem promotus & morte remotus.

### XXXVIII. GERARDVS II. ELECTOR XXII.

**G**erardus II. Comes Eppensteininus jam non unius tantum partis, sed ferè omnium calculis electus Archipræsul, audita sui electione ac promulgatione lætus, contendit Romam quamprimum, ubi à Nicolao IV. Pontifice Archiepiscopus consecratus, & pallio est exornatus. In Germaniam redux Hannoniæ Comitem procacius multa dicentem & facientem coercuit, simulque Fuldenses subditos contra Principem suum seditiosos in ordinem redegit. Anno 1291. Rudolpho Cæsari justis persolutis Adolphum Nassovium bellica laude dotibusque aliis multis insignem Ducem ad Imperatoriam dignitatem pene solus evexit, eundemque ad Imperij coronam suscipiendam Aquisgranum deduxit. At qui tantopere placuit Imperator, paulò post maximo pere Gerardo displicuit: Adolphum enim fortunam suam non capientem, & in scelera effusum denique, idem qui creandi, fuit etiam author exauthorandi Cæsaris, vocato in Imperij thronum Al-

berto



berto Habspurgico Rudolphi filio, cuius virtutem magni aestimare, sed & potentiam tandem timere didicit, jam non imperare, sed obedire Imperatori doctus, praesertim ubi Bingio à Caesareanis occupato circumfusas Moguntiaë copias aspexit. An. 1292. Aschaffenburgi Synodum celebravit, cui aderant Episcopi Bambergensis, Herbipolensis, Augustanus, Eustadianus, Hildesimensis, Wormatiensis, Spirensis aliique: ejusdem Synodi acta in compendium conscripta legerunt & laudarunt plurimi. An. 1298. Pragæ Wencellao Regi & hujus regiae conjugi Jutæ imposuit coronam: Infulam verò suam amisit morte ereptam an. 1304. annorum 16. Præsul. Sub Pontificibus Nicolao IV. Cœlestino V. Bonifacio VIII.

## S E C U L U M XIV.

### XXXIX. PETRVS ELECTOR XXIII.

**P**etrus in Archiepiscopatu Trevirensi ex pauperibus natus parentibus, in juventute medicinæ, & unâ scientiis pluribus strenuam navavit operam, Theologiæ etiam non parùm peritus. Henrico Lücelburgico futuro Cæsari exoptatus Medicus, in rebus cunctis suam plurimùm commmendavit industriam, arcanorum ferè omnium in aula arbiter. Igitur Henricus ut Balduinum fratrem suum 18. annorum juvenem in Moguntiaë Sedem Archiepiscopalem promoveret, misit Petrum Legatum ad Clementem V. Pontificem in Gallia tum commorantem. Præter alia in Balduino displicuit Clementi juvenilis ætas. Re itaque infecta dum Medicus simulque Legatus sese accingit ad reditum, subito Pontifex morbo corripitur; quem cum Petrus porrectis pharmacis tridui spatio dispulisset, in grati animi testimonium à Clemente nominatus & confirmatus est Moguntinus Archiepiscopus his dictis: *Cùm noveris tam peritè curare corpora, noveris etiam deinceps curare animas.* Idem hic Petrus vel author, vel adjutor fuit maximus,

CUR